



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ioannis De Lvgo Hispalensis, Societatis Iesv, S. R. E. Tit.
S. Balbinæ Presbyteri Cardinalis, Disputationes
Scholasticæ, Et Morales De Virtute Fidei Divinæ**

Lugo, Juan de

Lugduni, 1656

V. An fides explicita Dei remuneratoris sit neccessaria necessitate medij.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81031](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81031)

potentiam, & per accidens: unde sicut dolor formalis de peccatis est medium per se necessarium ad iustificationem, licet per accidens contingat aliquem iustificari per solam dilectionem Dei, in qua virtualiter continetur ille dolor: sic fides explicita horum mysteriorum potest dici medium necessarium ad salutem, licet aliquando possit non præcedere formaliter, sed virtualiter, & in hoc sensu possunt intelligi plura testimonia supra adducta.

107 Sed potest dubitari, quomodo verum sit, hanc fidem explicitam Trinitatis, & Incarnationis esse medium necessarium ad salutem, cum possit per se loquendo, homo iustificari ante baptismum per actum contritionis, quo casu, licet præcedat votum illius fidei explicitæ, sicut votum aliorum præceptorum, non tamen necesse est, præcedere ipsam fidem explicitam horum mysteriorum, neque etiam votum illius, ut alicuius, quod per se loquendo debuisset præcedere ante iustificationem. Respondere tamen possumus, non esse quoad hoc maiorem difficultatem de fide illa explicita, quam sit de ipso baptismo: sicut enim baptismus est medium necessarium ad salutem in re, vel in voto, quia vel baptismus realis, vel saltem votum illius debet præcedere iustificationem, & quia quando percedit sine baptismus, siue votum illius, positivè concurret, & directè ad iustificationem; sic dicendum est, de fide illa explicita, quæ necessaria est eodem necessitatis gradu, quo baptismus, loquendo de adultis; cum enim fides illa per se præcedere debeat baptismum, nisi per accidens ignorantia, vel inadvertentia, aut impotentia excludat, consequens est, ut sicut baptismus est necessarius, sic & fides illa, quæ baptismum præcedere debet, & sicut votum baptismi supplet pro baptismo, ita & votum illius fidei, quod includitur in voto baptismi, supplet pro eadem fide explicita: & sicut baptismus re ipsa positus conducet positivè ad salutem, & votum illius conducit etiam positivè; & ideo verè dicitur baptismus esse medium necessarium in re, vel in voto: ita fides illa explicita conducet positivè ad salutem, cum semper esset bona, & meritoria de cõgruo, & votum illius conducit etiam positivè, atque ideo verè dicitur fides illa explicita esse medium necessarium ad salutem in re, vel in voto. Denique sicut iustificatus ante baptismum, debet postea illum recipere, quia per votum illius tanquam mediū necessariū iustificatus fuit: ita iustificatus ante fidem illam explicitam debet postea cessante ignorantia, vel impotentia, eam habere, quia per votum illius tanquam mediū necessariū iustificatus fuerat. Quare eadem est ratio de necessitate baptismi, & de necessitate illius fidei, & sicut baptismus, ita & illa dici potest medium necessarium ad salutem, in re, vel in voto.

SECTIO V.

An fides explicita Dei remuneratoris sit necessaria necessitate mediæ.

108 Affirmant communiter Theologi propter illud Pauli ad Hebr. 11. *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est. & inquirentibus se remunerator sit.* Vbi Apostolus ex eo quod Henoch placuisset Deo, infert ipsum habuisse fidem. Card. de Lugo de Virtute Fidei divina.

dem, sine qua impossibile est placere Deo, quod probat, quia accedentem ad Deum oportet credere, &c. quem locum affert Tridentinum sess. 6. cap. 6. commendans fidem, quæ disponit ad iustificationem, de hac, inquit, dispositione scriptum est accedentem ad Deum oportet credere, &c. Veruntamen Concilium ibi aliquas dispositiones ponit, quæ non semper necessariò exiguntur.

Contra hanc communem sententiam aliqua fieri solent obiectiones, quæ facile dissolvuntur. Videatur Suarez disp. 12. sect. 3. num. 4. & sequentibus. Coninch. disp. 14. num. 115. & sequentibus, & Hurtado disp. 41. quæ alios referunt. Unica restat ex supradictis difficultas non exigua, quia ad iustificationem extra Sacramentum sufficit dilectio Dei super omnia: hæc autem haberi potest ex fide, quæ credimus Deum esse in se summè bonum, vel sapientem, vel potentem &c. Charitas enim non alligatur ad beneficentiam Dei, aut ad aliquod peculiare attributum, sed ad omnia, & ad singula potest tendere: ergo licet aliquis non cognoscat explicitè Deum, ut remuneratorem, potest eum diligere super omnia, & per consequens iustificari, item ad iustificationem in Sacramento sufficit attritio, seu delectatio peccati propter eius sceleratam, & turpitudinem: hæc autem potest cognosci & credi non cognito explicitè Deo, ut remuneratore; ergo sine fide explicita remunerationis potest haberi iustitia.

Hæc difficultas (meo iudicio) grauior est, quam ut ab auctoribus in præsentia debuisset omnino præmitti, sicut verè prætermittitur. Neque enim dicere audeam, hominem qui Deum propter eius infinitam perfectionem super omnia diliget, & (si necesse est) ideo peccata detestetur, non iustificari, cum scriptum etiam sit: *qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Nec tamen aliunde audeo enervare Pauli testimonium supra adductum, quod ab omnibus accipi videtur, de necessitate mediæ, non solum ad perseverandum diu in observantia legis, sed etiam ad iustitiam accipiendam.

Dicamus, si placet, iuxta doctrinam superius traditam hanc impossibilitatem esse quidem moralem ortam ex difficultate, quam post peccatum habet homo ad diligendum Deum plusquam se ipsum: mansit enim ad eum ad se, suæque propensio, ut difficillimum sit ei se à seipso omnino abdicare; & licet per auxilia gratiæ hæc difficultas magnopere minuat: ipsa tamen auxilia non disponunt hominem ita instantaneè, ut ex peccatore fiat diligens Deum super omnia sine interuentu aliarum dispositionum, nam licet facile sit Deo subito honestare pauperem, hæc tamen mutatio fit per dispositiones proportionatas, quæ incipiunt ab amore bono sui ipsius, à timore gehennæ, à desiderio beatitudinis, ut tandem ad Dei dilectionem perveniant: ideo enim dicitur Eccles. 1. *Radix sapientiæ est timere Dominum*: illius scilicet sapientiæ, de qua ibidem dicitur. *Dilectio Dei honorabilis sapientiæ*; & Eccles. 25. in universum dicitur: *Timor Domini initium dilectionis eius.* Quia planè nisi homo aspiciat in remunerationem, & in pœnam, non poterit ad Dei dilectionem pervenire: *Qui enim* (ait Theodoretus super prædicta verba Pauli ad Hebr.) *non hac ita habere crediderit, virtutis labores non sustinet*: neque enim agricola in agro colendo sudores toleraret, nisi se laborum fructus relaturum speraret, ita etiam gubernator ad portum respiciens, multos labores

Propositus
difficultas.

109

110

bore perpetitur. Hæc Theodor. cui concordat S. Thomas in eundem Pauli locum: *Aliter enim* (inquit) nullus iret ad ipsum, si non speraret aliquam remunerationem ab ipso. Ex quibus constat desiderium remunerationis, & metum supplicij, esse gradus, quibus peccator semper venit ad actum dilectionis Dei, quem ex illo priori affectu imperat, ut medium ad præmium assequendum, vel fugiendum supplicium. Videatur Connich disp. 19. de spe, dub. 9. ubi impossibilitatem hanc moralem agnoscit observandi præcepta sine spe remunerationis.

III Fateor, aliquem reperiri, qui adeo ingenua dilectione amet Deum, ut etiam si certo sciret se damnandum, vel annihilandum, adhuc diligeret: cæterum ad hanc ipsam dilectionem peccator nunquam ascendit nisi paulatim, & per gradum timoris, qui radix est totius dilectionis: difficile enim est ab extremo ad extremum, nisi per medium, & per suos quasi gradus transire; ideo enim timor assimilatur letæ Sutoris ab Augustino relato in cap. *sicut Seta*, de penitentia distinct. 2. *Sicut Seta introducit linum, ita timor introducit charitatem; crescit charitas, minuitur timor, & è conuerso. Quod si aliquis enixè contendat aliquam extraordinariam conversionem fieri, ex affectu solius amoris, quod de Magdalena aliqui credunt; non erit in hoc nimis repugnandum, licet de nulla possit cum sufficiente fundamento affirmari: dummodo adhuc in illo casu necessaria concedatur fides Dei remuneratoris, ut excitetur peccator ad eius dilectionem: facilius enim diligimus eum, quem nobis beneficium apprehendimus, quam quem in se ipso, & sibi soli bonum cognoscimus, oportet ergo in eo casu credere Deum non solum esse bonum in se, sed bonum etiam nobis non utcumque, sed ut benefactorem liberalissimum & largitorem æternæ beatitudinis, ut sine affectu spei, & timoris præuio diligeretur; quia licet non diligatur propter hominem, ut finem cui, sed propter ipsum Deum, (alioquin non esset charitas, sed actus spei, vel alterius virtutis) diligitur tamen quia beneficium homini, ita ut bonitas talis beneficentiæ & communicationis sit ratio motiua ad diligendum: quæ quidem bonitas magis mouet ad amorem, quam alia bonitas; quæ sibi est bonus, ut docet experientia.*

II2 Dices, ad iustificationem cum Sacramento sufficit attritio ex fœditate peccati: ad hanc autem non requiritur cognitio præmij, vel supplicij, ergo nec ad iustificationem. Respondeo, fœditatem peccati dupliciter posse cognosci. Primò ut furtum, v.g. opponitur solum contra naturam rationalem, & ut sic nunquam moueret ad detestationem super omnia, nisi præcederet fides remunerationis, seu alterius vitæ: tunc enim ex affectu timoris, vel spei posset imperari detestatio furti super omnia propter turpitudinem ipsius furti. Secundò potest considerari furtum ut habens talem tantamque malitiam, cui debeatur tanta pœna sensus, vel damni, & ex consideratione huius fœditatis excitatur attritio sufficiens cum Sacramento, sed non sine fide remunerationis, ut constat.

II3 Contra hunc explicandi modum, quem olim in hac materia insinuaui, aliqua opposuerunt Theologi recentiores. Primò, quia sine fundamento dicimus cognitionem supernaturalem evidentem de turpitudine peccati esse minus efficacem ad mouendam voluntatem nostram ad detestan-

dum illud super omnia, quam sit assensus fidei, & ideo de facto ante fidem formalem non finalem detestationem sufficientem ad iustificationem etiam in Sacramento: nam ex vna parte cognitio illa excederet assensum fidei in claritate, cum esset evidens, & fides sit obscura: ex alia parte non esset minus certa, & firma, quam fides, cum esset assensus supernaturalis habens ita conuersionem cum veritate obiecti, sicut assensus fidei: cur ergo esset minus efficax ad mouendam voluntatem?

Secundò, quia non apparet, cur sicut Deus cognitus per fidem, ut remunerator mouet ad dilectionem sui super omnia, non possit etiam mouere nos ad similem dilectionem cognitus per fidem, non ut remunerator, sed sub aliis perfectionibus diuinis: cum enim omnes perfectiones diuinæ sint infinitæ, & æquales, & amabiles oriuntur ex bonitate obiecti, consequens est, ut proposita æquali bonitate in sapientia, vel in lenitate Dei, æquæ moueri possit voluntas ad eum diligendum, licet nondum proponatur ut remunerator.

Tertiò, quia non minus mouetur homo timore pœnæ, quam desiderio præmij, ut experientia testatur in multis, qui timore inferni fugiunt peccata ergo licet Deus nondum proponatur per fidem ut largitor præmij, sed solum ut indempnans peccatores pœna æterna, non minus posset voluntas excitari ad detestationem peccati super omnia ex metu inferni, & per consequens cum illa attritione posset homo iustificari saltem in Sacramento sine fide Dei remuneratoris.

Quartò, quia si illa impotentia moris provenit ex eo, quod magis excitetur homo ad affectum ex fide remuneratoris, quam ex fide aliorum perfectionum Dei, quæ non ita cedunt in bonum hominis, consequens videtur, quod dilectio illa erga Deum non sit actus charitatis, sed potius amor concupiscentiæ: moueretur enim homo ex utilitate sibi ipsi proveniente, atque adeo ille excessus efficaciz, quam fides remunerationis habet, non esset formaliter ad excitandum affectum dilectionis ex charitate, sed alium affectum diuersum, qui non sufficeret ad iustificationem saltem extra Sacramentum.

Propter hæc ergo ipsi aliter explicant necessitatem hanc fidei de Deo remuneratore ad iustificationem, quam dicunt provenire, non tamen natura rei, quam ex Dei decreto, qui de fide noluit iustificare hominem ad ultimum sine dispositione congrua, & proportionata ex parte ipsius: hæc autem dispositio, sicut est actus dilectionis super omnia extra Sacramentum, vel actus iustificationis in Sacramento, ad habitum charitatis, & ad formam essentialem iustificantem: ita ad habitum supernaturales fidei, & spei, quorum insusio est etiam pars integralis nostre iustificationis, dispositio requisita sunt actus spei sine fide Dei remuneratoris, non poterit homo disponi sufficienter ad iustificationem sine illa fide, quæ noluit Deus de facto iustificare hominem non dispositum prius dispositione proportionata ad omnes illos habitus. Quare licet fides Dei infinite faciat, & potentis sufficeret ex se ad excitandum Dei dilectionem: Deus tamen de facto hominem, qui non se disponit per actum spei adhuc saltem virtualiter, & moraliter perseverantem, hoc est, nondum per desperationem retractum, non dat

Fœditas peccati dupliciter potest considerari.

Opponuntur quidam.

auxilium actuale ad dilectionem, vel ad detestationem peccati super omnia, ne iustificetur, sine dispositione peculiari requisita ad infusionem habitus spei. Ita Theologi illi discuntur quibus ex parte consensisse videtur Hurtado *disp.* 41. §. 5. & 8. dicens, hoc magna ex parte pendere ex voluntate Dei, quæ nobis in Scripturis reuelata est. Sed tamen postea eodem §. 8. magis videtur nobis adhæsisse, dicens hoc fundari in hominum conditione, qui agere hominentur ad amorem Dei super omnia auocantem nos à voluptatibus sensibilibus, nisi alliciantur meliorum voluptatum expectatione, imò assert etiam fundamentum aliud physicum, ex eo, quod in hac vita cognoscimus Deum non immediate, sed per creaturas quæ Dei potentia conditæ sunt, & prouidentia gubernantur; quare simul cognoscimus & Dei potentiam & prouidentiam etiam, ad quam pertinet remuneratio, nec homines vnam perfectionem sine alia in Deo cognoscunt.

116 Hæc tamen secunda ratio Hurtadi non videtur omnino subsistere; tum quia non est necesse, quod ubi primum ex creaturis cognoscitur Deus, ut prima causa creaturarum, cognoscatur, ut remunerator, imò aliqui Philosophi putarunt, Deum non habere prouidentiam de rebus creatis, nec de illis curare, quare potuerunt aliàs diuinas perfectiones cognoscere sine cognitione Dei remuneratoris: tum etiam, quia fides utramque perfectionem Dei seorsim reuelat, & prius proponit nobis Deum ut primam causam, & ens à se, quam proponat remunerationem nobis promissam; neque hoc prædicatum credimus de Deo, quatenus ex cognitione creaturarum ad id confitendum adducimur, sed quia Deus id reuelauit. Quamuis enim in hac vita non possimus Deum cognoscere, nisi per creaturas, hoc est, per species creaturarum, & ad earum similitudinem ablati imperfectionibus: per fidem tamen non cognoscimus Deum per creaturas, tanquam per medium, & motuum assentiendi, sed per reuelationem, & auctoritatem ipsius Dei, alioquin non esset fides, sed scientia de Deo habita per notitiam creaturarum.

117 Quod verò Recentiores illi dicebant reduendam totam necessitatem huius fidei de Deo remuneratore ad decretum, & legem Dei, nobis non placet: quia si obiecta ipsa, nempe turpitudinem peccati, & aliæ diuinæ perfectiones, eodem modo, quo nobis de facto proponuntur, haberent efficaciam ad excitandum in nobis affectum dilectionis Dei, & detestationem peccati super omnia ante fidem remuneratoris, non posset de facto hæc excitatio impediri sine violentia aliqua, quam Deus inferret ipsi obiectis, & nostris potentis, quando ea obiecta nobis proponuntur. Nam de facto aliæ perfectiones diuinæ, & turpitudinem peccati eodem modo proponuntur à Concionatoribus, vel libris, antequam proponatur, vel concipiatur, & eliciatur fides explicita Dei remuneratoris; sicut postea proponuntur; si ergo modus ille proponendi sufficit ad generandam notitiam, & fidem eorum obiectorum, generabitur, nisi Deus impediat actiuitatem illarum specierum, vel saltem neget concursum ad actum supernaturalem. Vtrumque autem non videtur fieri sine violentia: nam impedire actiuitatem obiecti sufficienter propositi, ne generet notitiam naturalem, quam posset generare, esset contra debitum naturale, quod Deus habet ut auctor

Card. de Lugo de Virtute Fidei diuinæ.

naturæ: negare autem concursum supernaturalem ad actum supernaturalem tunc eliciendum, esset contra statum eleuationis, in quo Deus proposito sufficienter obiecto apto ad terminandum actum supernaturalem, nunquam negat concursum ad actum supernaturalem: & quidem durissimum esset dicere, quod homo non posset tunc illa obiecta reuelata sibi sufficienter proposita credere fide diuina, sed solum fide naturali, & acquisita, antequam proponatur etiam, & credatur articulus de Deo remuneratore. Quis enim dicat, puerum baptizatum venientem ad vsum rationis, cui proponitur credendus articulus reuelatus de omnipotentia Dei, cui nondum est propositus articulus de Deo remuneratore, vel qui inculpabiliter errat circa illum, non posse credere fide diuina Deum vnum omnipotentem, cum tamen habeat habitum fidei infusæ, cui debetur concursus ad actus supernaturales, & obiecta illa, & obligatio credendi sint sufficienter proposita? Posito autem assensu fidei circa illa obiecta, & quidem tali, qualis esset, si creditus iam fuisset Deus remunerator, non potest sine violentia noua negari à Deo concursus ad actum dilectionis supernaturalis, si fides illa efficaciam habet, ut moueat ad talem actum, nam sicut posita cognitione naturali efficaci ex se ad amorem naturalem, Deus, ut auctor naturæ debet dare concursum in actu primo, ad eum amorem naturalem: ita posita cognitione supernaturali sufficienti, & efficaci ex se, ut excitet amorem sui obiecti, debet Deus ut auctor supernaturalis dare concursum in actu primo ad amorem supernaturalem, quia omni principio cognoscitiuo debetur in suo ordine principium appetitiuum boni propositi. Non posset ergo sine violentia impediri, vel cognitio obiecti propositi, vel amor obiecti cogniti, ad quem cognitio ex se sufficienter excitat.

Nunc respondeamus ad argumenta contra nostram explicationem proposita. Ad primum negamus, sine fundamento poni à nobis debilitatem illam ad excitandum amorem Dei, vel detestationem peccati super omnia in ea cognitione, quæ non sit fidei: nam experientia perpetua testatur omnem aliam notitiam de Deo, aut de peccatis in infidelibus nunquam excitasse efficaciter ad actus etiam naturales dilectionis Dei, vel detestationis peccati super omnia. Nec obstat cognitionem illam esse posse euidentem, qualis non est actus fidei, sed obscurus: quia in primis actus fidei firmior est, cum intellectus per illum prudentissimè firmius credat obiectum quam per illum alium actum ex discursu Philosophico generatum credidisset; quæ maior firmitas, sicut magis excludit dubium, & formidinem, ita magis firmiter, & efficaciter mouet voluntatem ad volendum obiectum, quod magis sine formidine proponit intellectus. Adde, experientia etiam constare quod licet omnes habeant euidentiam moralem de existentia Romæ, magis tamen quispiam, qui eam non vidit, mouetur ad desiderium eam videndi, quando aliquem oculatum testem audit narrantem, & describentem, quæ Romæ vidit, quam antea moueretur à notitia moraliter euidenti, quam habebat. Imò licet fideles omnes per fidem credant pœnas inferni, & earum intolerabile tormentum, magis tamen mouentur, quando aliquis rediuius narrat quæ apud inferos vidit, vel passus est. Experientia enim maximam vim

118

Respondetur ad argumenta superius proposita.

Cc 2

habet

habet ad mouendam voluntatem, & narratio illa testis oculati, & experti habet nescio quam vim proponendi nobis experientiam narrantis, quasi si nostris etiam oculis, & sensibus experiremur. Quam energiā planè non habent discursus Philosophici, in quibus defatigata mentis & animæ acie in eruenda conclusione occulta ex suis principiis, cuius obiectum minùs etiam distinctè cōcipit, contentus manet homo veritate indagata, & facilius in speculatione sistit, nec progreditur ab nouum conatum, & laborem, in amplectendo obiecto sustinendum: quando verò absque defatigatione ex simplici narratione rem cognoscit, concipit illam magis distinctè, & in particulari, & ut aliquid de suo addat, mouetur ad bonum illud procurandum Denique experientia, ut dixi, restatur, facilius nunc vetulam rudem moueri ex simplici fide de bonitate Dei, & magnitudine præmij ad Deum diligendum, & procurandam salutem, quam olim sapientissimi Philosophi ex notitia Philosophica mouerentur, quod non potest, nisi in debilitatem illius notitiæ, & in energiam, & efficaciam nostræ fidei refundi.

119

Nec etiam obstat, quod cognitio euidentis de honestate fidei, v.g. de fœditate infidelitatis possit esse, & sic etiam supernaturalis, vnde potest esse æque efficax, ut moueat ad detestationem infidelitatis super omnia: hoc, inquam, non obstat, quia, ut dixi *sect. 1.* supernaturālitās illa non augeret energiam ad mouendam voluntatem, cum ipsa non cognoscatur, nec sentiat: & quamuis cognitio illa ratione supernaturalitatis habeat maiorem connexionem cum veritate, atque adeò ex hoc capite habeat maiorem certitudinem, quam haberet cognitio euidentis naturalis de eodem obiecto: hic tamen excessus certitudinis impertinens est ad magis mouendam voluntatem, cum nullo modo percipitur, sicut percipitur maior firmitas adhesionis, in qua assensus fidei excedit cognitionem illam euidentem de honestate fidei: nam ut vidimus *supra disp. 6. sect. 3.* firmius credimus per fidem obiectum reuelatum, quam antea per iudiciū euidentis credibilitatis crederemus honestatem credendi. Quare sicut iudiciū euidentis naturale de turpitudine peccati non mouet sufficienter, moraliter loquendo, ad detestandum illud super omnia, sic nec iudiciū euidentis supernaturale cuius supernaturalitas nō percipitur, nec maiori firmitate assentitur, sed proponit obiectum eodem planè modo, quo proponeretur per iudiciū euidentis naturale, quod tamen debile esset ad illam motionem propter minorem suam firmitatem, ut experientia comprobauit.

120

Fides Dei remuneratoris
cur requiratur

Duplex efficacia in fide
Dei remuneratoris
explicatur.

Ad secundum argumentum responderetur ex dictis, fidem Dei remuneratoris non ideo requiri, quia maior perfectio, aut bonitas Dei resplendent in eo attributo, quam in aliis perfectionibus diuinis, sed quia magis nos mouet eadem Dei bonitas, præcedente notitia remunerationis. Quam maiorem efficaciam dupliciter possumus explicare. Primò quasi extrinsecè, quatenus desiderium beatitudinis impellit nos, quasi motuum extrinsecum ad dilectionem Dei: nam sicut ex amore beatitudinis possumus eligere alia media, & imperare nobis alios actus aliarum virtutum, qui necessarii, vel vtilis sint ad salutem; sic possumus imperare nobis actum dilectionis Dei, qui maxime utilis & necessarius concipitur ad salutem, & sine quo motu extrinsecò peccator non applicaret se ad dilectionem, nec eam sibi imperaret,

quare ex hoc saltem capite requiritur fides remuneratoris. Secundò potest esse maior efficacia intrinsecè, quatenus illa perfectio Dei remuneratoris, licet in se non sit maior quam alie perfectiones diuinæ, est tamen aptior ad conciliandū sibi nostrum amorem, ut fieri videtur Hurtado, & experientia manifestè constat, facilius & ardentius nos amare etiam amore amicitie eos, à quibus scimus nos diligere, & multò melius apprehendi, & ponderari à nobis eorum perfectiones, que ipsos amabiles reddunt, ut merito ille dixerit, *ut ameris, ama.* Vnde & facilius eorum defectus excusamus, & dubia interpretamur in meliorem partem, siue hoc proueniat ex eo, quod applicamus magis mentem ad ponderanda motus amoris erga illos, quæ tamen respectu aliarum leuiter cogitamus, siue quia amor tendit ad coniunctionem, & unionem amantis cum obiecto amato. Quare quando vidimus aliquem iam nos amantem, & volentem eandem cum nobis coniunctionem, facilius mouemur ad complendam coniunctionem hanc, quam iam ex altera parte videmus inchoatam, siue id denique ex alio capite proueniat; experientia tamen certissime ostendit, facilius multò nos moueri affectu amicitie erga illos, qui nos amant. Quid ergo mirum, si homo difficilius moueatur ad diligendum Deum super omnia propter alias perfectiones diuinas, quæ postquam nouit cum ita promptum ad remunerandū ipsum remuneratione adeò liberali, & sublimi, atque ideo prærequiri hanc fidem explicitam Dei remuneratoris ad extorquendum à nobis difficilem affectum dilectionis super omnia.

Tertium argumentum exigit decisionem alterius questionis, quæ in præfenti posset occurrere, scilicet sufficiat aliquando ad iustificationem fides explicita de pœna inferni, quam Deus propter ob peccata mortalia statuit, & infligit, an verò sit ad requiratur etiam fides de præmio æterni boni meritis correspondente. Ratio autem dubitandi esse potest, quæ in obiectione attingitur, quia nō mirum non videtur minùs efficax ad retrahendum à peccatis timor pœnæ, quam sit spes præmij, nec minùs videntur homines moueri ad relinquenda vitia ex metu inferni, vnde iudicium sapientiæ dicitur esse timor Domini, & arctius sufficiens ad iustificationem in Sacramento concipi potest ex metu gehennæ, ut constat ex Tridentino *sess. 14. cap. 4.* ad illam verò attritionem videtur sufficere fides explicita de pœnis gehennæ, ex quarum metu concipitur. Quæ potest minùs strictè appellari etiam fides remunerationis: nam aliquod remunerationis genus esse videtur condonare pœnam debitam auertere se à peccato cum dolore, & detestatione illius, & corrigenti in posterum mores suos. Ego tamen non auderem excludere necessitatem alicuius fidei de remuneratione, præscindendo nunc à remuneratione naturali, & supernaturali, de quo postea; nam verba Pauli id videntur exigere, & pœna non est propriè remuneratio. Et quidem difficilimam, & moraliter impossibile videtur, quod aliquis in Deo concipiat prouidentiam ad puniendam peccata sine prouidentia ad remuneranda bona opera. Denique dolor ipse de peccatis efficax, & absolutus ex quocunque motu sit, non sufficit ad iustificationem etiam in Sacramento, nisi sit cum spe veniæ, ut dixit Tridentinum *di. 1. sess. 14. cap. 4.* hæc autem veniæ spes haberi non potest, nisi concipiatur Deus attendens ad dolorem

dolorem de peccatis, & ad desiderium, ac petitionem veniæ, ut moueatur ad eam concedendā, quæ est aliqua species remunerationis, quæ boni actus peccatoris, ut merita saltem congrua præmiantur concessione veniæ, quæ Deus remunerat iam peccatores inquirentes ipsum: quare ex hoc saltem capite iam concipitur Deus remunerator inquirentibus se, & non solum ut vindex, & merus castigator delictorum.

122 *Ad quartum denique argumentum constat ex dictis, quomodo fides Dei remuneratoris possit conducere ad amorem Dei non solum concupiscentiæ, quo diligitur, ut bonum nostrum, sed etiam beneuolentiæ, & amicitia, quo diligitur propter se nempe vel excitando spem, & desiderium beatitudinis promissæ, ex quibus extrinsecè moueatur voluntas ad dilectionem Dei super omnia tanquam ad medium vtile, & necessarium ad salutem, ex cuius salutis desiderio imperetur ille actus; vel etiam quatenus Deus cognitus, ut remunerator, & ut bonus erga nos, & desiderans, ac procurans nostrum bonum, mouet nos ad facilius eum diligendum amore amicitia, sicut facilius eo amoris genere diligimus eos, qui nos diligunt, ut paulo antè explicuimus.*

123 *Ex dictis autem inferri potest primò necessarium esse fidem explicitam de existentia Dei, ut colligitur ex verbis Pauli, oportet credere, quia est, & cum S. Thoma quæst. 2. art. 4. docet Suarez dist. disp. 1. 2. sect. 3. num. 4. & alij communiter contra Canum lib. 1. 2. de locis cap. 4. & Caiet. in cap. 6. ad Hebræos, qui dixerunt, non esse necessarium fidem de existentia naturali Dei, sed de Deo existente, ut est auctor supernaturalis. Quam sententiam latius impugnatur Hurtado disp. 42. & breuiter impugnari potest, quia vel in Deo existentia supernaturalis addit prædicatū diuersum supra existentiam diuinam, quæ Deus, est Deus, vel nihil addit, sed idem omnino est Deus esse Deum, ac Deum supernaturaliter existere. Si dicatur secundum, frustra ergo distinguitur existentia naturalis, & supernaturalis Dei, ita ut de secunda exigatur fides, & non de prima. Si verò dicatur primum, prout auctores illi supponere videntur, negari non potest, quod existentia Dei debeat etiam credi: tum quia Paulus non dicit solum oportet credere, quod remunerator sit, sed prius dixit, oportet credere, quia est, & postea tanquam aliud addens subiungit, & inquirentibus se remunerator sit. Oportet ergo credere etiam, quod Deus sit Deus, & deinde, quod sit remunerator. Tum etiam, quia repugnat fide credere, quod Deus sit remunerator, & non credere simul eadem fide, quod Deus sit. Nam, ut dici solet in summis, prædicata de secundo adiacente supponunt propositiones de primo, nec potest aliquis credere, Petrum esse album, quin credat simul Petrum esse, quod includitur essentialiter in hoc, quod est esse album: qui ergo fide credit, Deum esse remuneratorem, eadem fide credit, Deum esse, & per consequens existentiam, quæ Deus existit Deus. Vide alia argumenta apud prædictos auctores.*

124 *Inferitur secundò, necesse etiam esse credere prædicatam illam Dei, per quæ distinguitur à creaturis, seu sine quibus à creaturis non distinguere-tur, quia alias non creditur esse Deum, sed esse aliquod ens creaturæ excellentius, & sublimius nobis, quales Diaboli Ethnici credebantur. Vnde Suarez dicta sess. 3. num. 7. inferri, credi debere, Card. de Lugo de Virtute Fidei diuina.*

eum esse vnum, independentem ab omni alio, ens necessarium, & à se, rerum omnium auctorem, summe etiam veracem, in hac enim Dei veracitate fides nostra fundatur, ut in superioribus visum est. Quibus consentit Coninch. disp. 1. 4. num. 116. & sequentibus, & addit debere etiam necessariò credi, Deum esse supremum, habere prouidentiam rerum omnium, ei placere virtutem, & displicere peccata. Si enim homo ignoret, Deo peccata displicere, etiam si eum super omnia diligeret, eiusmodi dilectio non esset sufficiens dispositio ad iustificationem, quia nec virtute contineret contritionem de peccatis, qui enim ignorat, Deo peccata displicere, etiam si Deum diligit, non est paratus ad dolendum de peccatis, si eorum memoria occurreret, nec ad ea vitanda, ne Deum offendant. Vnde inferri. 119. in hoc rerum ordine non expedire, quod Deus de facto auxilium præstet ad eiusmodi sui dilectionem homini tali ignorantia habituali laboranti. Facilius tamen dici potest eam dilectionem de facto non posse dari sine fide Dei remuneratoris propter rationes supra adductas, nec Deum posse concipere remuneratorem bonorum operum, quin appareat hæc ei placere, & vitia displicere. Vnde eo etiam ipso creditur prouidentia Dei; non potest enim esse remunerator, sine cura & prouidentia bonæ gubernationi necessaria.

Eodem modo necessaria est fides explicita de immortalitate animæ, ut notant Suarez dist. c. 3. in fine, & Coninch. ubi supra num. 122. quia ut ponderauit Suarez, præmia, aut supplicia temporalia non mouerent sufficienter ad conuersionem, & detestationem peccatorum ita vniuersalem. Non explicant verò, an sit necesse necessitate medij credere, animam ex natura sua esse immortalem, neque ego video fundamentum cogens ad eam necessitatem ponendam. Si enim concipiatur anima in æternum duratura, præsciendò ab eo quod id proueniat ex natura nostræ animæ, vel ex Dei beneficio supernaturali, a quæ homo moueri posset, quantum est ex parte obiecti, ad fugiendā peccata; si tamen explicitè crederetur, eam immortalitatem non esse animæ connaturalem iam actus ille esset falsus, atque adeo non esset actus fidei diuinæ sufficiens, aut idoneus ad iustificationem.

Additidem Coninch. num. 123. eadem necessitate requiri fidem explicitam, quia homo credat, se non posse suis viribus à meritis erui, & æternam illam præmia consequi, quia sine hac fide non est sufficienter dispositus, ut conuenienter tanta bona à Deo recipiat, qui hæc ab eo nullo modo sperat accipere, sed putat absque Dei auxilio suis viribus ea se assequi debere. Minus tamen strictè loquitur Suarez dict. sess. 3. num. 19. ubi, licet per se loquendo dicat exigi sufficientem fidem de necessitate gratiæ, & auxilij diuini ad iustitiā, & remissionem peccatorum obtinendam, non tamen videri dicit necessarium, ut in omni euentu id credatur per fidem adeo explicitam, ut per diuersos conceptus; & per actus differentes habeatur. Et quidem, si credi debet remuneratio supernaturalis, satis videtur ibi contineri necessitas auxilij diuini, cum ad consequendum aliquid supra vires naturæ, necessarium sit auxiliū aliquod supra vires nostras. Rursus, qui veniam petit, aut sperat peccatorum, eo ipso agnoscit necessitatem gratiæ diuinæ; omnis enim, qui debitum remittit, gratiam aliquam præstat. Denique eo ipso, quod

125 *Item fides explicita de immortalitate animæ est necessaria.*

126 *Necessaria est fides explicita, quæ homo credat, se non posse suis viribus à meritis erui, & æternam præmia consequi.*

Cc 3 quod

quod Deus credatur remunerator, & supremus, ac omnipotens Dominus, creditur dependentia ab ipso in consequitione nostræ salutis, & quod vtiliter orare possumus eum, qui cum omnipotens Dominus sit, potest nos saluos facere, vel permittit ruinam nostram.

127 Maior est difficultas, an per fidem necessariam de Deo remuneratore debeat credi explicitè remuneratio supernaturalis. Affirmant communiter plures, Suarez dicta sess. 3. n. 8. idem videtur supponere Coninch. dicta diss. 14. dub. 9. n. 115. in fine, ubi dicit, necessariam fidem explicitam de vita æterna, quam Deus promissit, & expressè

Granado controuersia prima de fide tract. 10. diss. 2. sect. 1. num. 2. cum Michaele Medina lib. 4. de relecta in Deum fide, cap. 8. ad finem, eandem sententiam tenent Caietanus, Bañes, Valentia, Aragonius, Lorca, & Turrianus, quos affert Hurtado in præsentis diss. 43. sect. 1. ubi tamen dicit S. Thomam in præsentis quæst. 2. art. 3. loqui de necessitate saltem præcepti, & in 11. ad Hebr. non exigere explicitum conceptum de supernaturalitate remunerationis.

128 Ipse verò Hurtado ibidem sect. 7. probabile putat, sufficere de necessitate mediæ fidem, qua explicitè credatur Deus, vt remunerator præscindendo à supernaturalitate remunerationis. Pro qua sententia affert Molinam 1. 1. quæst. 1. art. 1. diss. 1. & Victoriam, & alios, quos tacito nomine refert Turrianus diss. 26. dub. 4. & sectionibus præcedentibus explicat loca Patrum, Scripturæ, & Conciliorum, in quibus vel solum exigitur fides supernaturalis in entitate, non verò de obiecto materiali supernaturali, vel agitur de necessitate præcepti, vel explicatur aliquorum fides de obiecto supernaturali ratione cuius iustificari potuerunt, non verò adstruitur necessitas talis fidei explicitæ in omnibus, vt iustificari possint. Eandemque sententiam amplecti videtur Ripalda de ente supernaturali diss. 63. num. 24. Vbi loquens de fide requisita ad disputationem vltimam, vt homo iustificetur, probat, eam posse esse cognitionem supernaturalem euidentem ortam ex noticia creaturarum naturalium; nam respondit, inquit, homines nulla memoria reuelationis diuinæ, cui assentitur fides stricta, diligunt ardentissime Deum propositum, vt Creatorem, sapientem, largitorem munerum naturalium, & aliis attributis perfectum, que assequuntur ex nozione creaturarum visibilium. Hunc autem amorem non esse illis salutarem, & supernaturalem, impium est credere.

129 Suppono, multipliciter posse casum quæstionis proponi. Primò, vt aliquis explicitè credat, Deum concedere hominibus suam gratiam in hac vita, & visionem claram sui in altera vita, non tamen explicitè hac omnia concipiatur esse supernaturalia. Secundò, vt aliquis explicitè solum credat, Deum esse remuneratorem, non concipiendo qualis ea remuneratio sit, sed præscindendo à præmio naturali, vel supernaturali, à beatitudine in alio bonorum genere, & à beatitudine cælesti, qualis de facto datur. Tertiò, vt concipiatur explicitè remuneratio supernaturalis, & eius supernaturalitas. Quartò, vt credatur explicitè remuneratio aliqua naturalis. Quintò, denique, vt ita sola credatur remuneratio illa naturalis, vt negetur omnis alia supernaturalis. Ex his itaque modis secundum non credo esse necessarium necessitate mediæ. Nam vt bene probat Hur-

radus §. 3. prædicatum supernaturalitatis rarissime concipitur explicitè extra scholas, & scholasticos disputantes de supernaturalitate visionis beatæ, gratiæ habitualis, &c. Quare si credatur explicitè remuneratio talis, quæ specificatiue est supernaturalis iuxta primum modum supra positum, licet non concipiatur explicitè vt supernaturalis, non videtur dubium, quod sufficiat de necessitate mediæ. Rursus si credatur explicitè remuneratio naturalis cum exclusione alterius supernaturalis iuxta quintum modum positum, actus erit falsus, atque adeo non erit actus fidei, nec sufficiens ad iustificationem.

Difficultas est de quarto modo (& eadem est ferè de tertio) quando concipitur remuneratio naturalis absque exclusione supernaturalis, & in hoc sensu puto negari à Theologis communiter eam fidem sufficere, sed debere concipi explicitè remuneratorem talis & tantæ perfectionis, quæ specificatiue saltem sit supernaturalis, quantum eius supernaturalitas explicitè non concipiatur. Et videtur sanè esse iuxta mentem Pauli, & eius contexturam, qui illo cap. 11 ad Hebræos, postquam dixit: Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inuidentibus se remuneratorem fuisse. Et inde probauit, Henoch habuisse hanc fidem, & aliorum etiam Patriarcharum, & Sanctorum fidem proposuit, conclusit de illis omnibus dicens: Iuxta fidem defuncti sunt omnes iusti, non acceptis repromissionibus, sed à longe eas aspicientes, & salutantes, & consistentes, quia peregrini, & hospites sunt super terram. Qui enim hæc dicunt, significat se patriam inquirere; nimirum cælestem, de qua subiungit: Nunc aut meliorem inquirunt, id est, cælestem. Quare de iis omnibus videtur supponere, habuisse fidem remunerationis cælestis, quam tamen fidem in Henoch non aliter probauerat, nisi ex principio illo generali, quod accedentem ad Deum oportet credere, quod remunerator sit: Illud ergo principium vniuersaliter intellexit de fide remunerationis cælestis; alioquin non potuisset postea concludere vniuersaliter de omnibus illis, quorum vnus erat Henoch, quod fidem habuerunt remunerationis cælestis.

Ratio etiam huius necessitatis ex dictis reddi potest. Primò, quia de facto non est reuelata à Deo remuneratio aliqua naturalis æterna, sed sola supernaturalis & cælestis. Si ergo fides credit remuneratorem æternam, debet credere eam, quam Deus de facto promissit, & reuelauit, que est sola supernaturalis, atque adeo concipitur remuneratio supernaturalis saltem specificatiue: ideo Tridentinum sess. 6. cap. 6. dixit, hominem disponi ad iustificationem credendo vera esse, quæ diuinitus reuelata, & promissa sunt. Secundò, quia omnis alia remuneratio naturalis etiam æterna non esset sufficiens ad extorquendam obseruantiam totius legis, & abnegationem sui ipsius per detestationem, & fugam peccatorum super omnia: quis enim propter solum statum puerorum, qui sunt in limbo, ad id moueretur, quos tamen pueros aliqui graues Theologi dicunt habituros felicitatem quandam naturalem æternam, quos & eorum fundamenta refert latè Salas tom. 2. in 1. 2. tract. 13. diss. 11. sect. 6. numero 88. & sequentibus. Requiritur ergo fides de superiori, & excellentiori præmio quale Christianna fides nobis proponit. Nec denique sufficit fides sola de pœna æterna inferni absque vlla fide remunerationis; quia vt supra vidimus, vt attritio

ex metu gehennæ disponat sufficienter ad iustificationem in sacramento, requiritur quod sit cum spe veniæ: hæc autem spes supponit ad minus fidem de liberalitate Dei remunerantis merita congrua, & dispositiones nostras concessione veniæ, quæ quidem non est remuneratio naturalis, sed supernaturalis, cum remissio peccati obtineri non possit per vires naturæ, nec sit naturæ debita, præsertim remissio peccati includens remissionem pœnæ æternæ quæ de facto datur, cuius potissima pars est pœna damni consistens in carentia gloriæ cælestis. Atque ut dicebamus, de facto non contingit aliquem habere fidem de inferno, & non de gloria cælesti, cum utrumque externum simul per fidem proponatur, & infernus ipse non proponatur, nisi ut exilium, & ablegatio perpetua à gloria cælesti.

132 Fateor tamen, adhuc mihi restat scrupulus circa prædicta Pauli verba: *Credere oportet accedentem ad Deum*, &c. quibus hanc communem sententiam probant Theologi; nam vel Paulus loquitur ibi de necessitate fidei horum obiectorum ad iustificationem, vel de necessitate ad perseverandum in accepta iustitia per diuturnam mandatorum observantiam. Si loquitur de necessitate ad iustificationem: quomodo ergo ex eo quod Henoch placuit Deo, colligitur ipsum habuisse fidem horum obiectorum. Credibile enim omnino est Henoch non fuisse primò iustificatum per propriam dispositionem, sed per remedium, quod in lege naturæ applicabatur parvulis ad tollendum peccatum originale: nam licet vnus Erasmus, quem viderim super illum Pauli locum insinuet Henoch ortum fuisse ex parentibus iniustis; hoc tamen non video, quo fundamento asseratur, nec etiam ex hoc colligitur eius parentes fuisse infideles; præsertim cum ortus fuerit ab ea familia, in qua porissimum fides & cultus veri Dei seruatus fuit ab Adam vsque ad Abraham: quare licet non fuissent iusti, fuerunt tamen fideles, & per consequens applicauerunt proculdubio suo filio remedium peccati originalis: ergo ex eo, quod fides horum obiectorum necessaria sit ad iustificationem, non colligeret bene Paulus, Henoch habuisse hanc fidem: cum Henoch in infantia fuerit iustificatus. Si verò Paulus non loquatur de necessitate ad iustificationem, sed ad perseverantiam in iustitia per observantiam mandatorum: obstat in primis Tridentinum ubi supra, ubi numeratis dispositionibus, præparationeque ad iustificationem, subiungitur: *De hac dispositione scriptum est, accedentem ad Deum oportet credere, quia est & quod inquirentibus se remunerator sit*. Ergo Paulus de dispositione ad iustificationem loquitur. Obstat deinde communis Theologorum consensus ex prædicto Pauli testimonio colligens necessitatem huius fidei ad iustificationem. Obstat denique proprietas illius vocis *accedentem*, quia utitur Paulus, quæ in rigore videtur sonare conuersionem, non perseverantiam; & denique obstat, quia post acceptam iustificationem nō videtur necessaria fides actualis horum articulorum: nam parvulus in infantia baptizatus, quando venit ad usum rationis potest instrui prius de fide vnus Dei, quàm de remuneratione; & ex illa fide potest vnus, vel aliud opus bonum, & meritorium elicere, præsertim in sententia Vasquez, & aliorum, concedente meritum de condigno actibus bonis naturalibus factis ab homine grato: ergo sine fide vtriusque articuli

explicita placet Deo, & accedit ad Deum iste per merita actualia. Hæc sanè difficultates, nec leuiter attinguntur ab interpretibus illius loci; nec à scholasticis, qui ex illo loco passim conclusionem Theologicas solent comprobare.

In re tamen difficili dicendum videtur Paulum nomine *accedentem ad Deum*, non intelligere solum accedentem per primam iustificationem, neque etiam solum perseverantem per diuturnam mandatorum observantiam, sed vtrumque: vterque enim dicitur verè accedens ad Deum: ille scilicet, qui per peccatum longè erat, & per iustitiam propriè accedit; & ille etiam, qui per mandatorum observantiam propriè accedit; neque enim longè distabat Iacob, cum audiuit ab Isaac Genes. 27. *Accede huc ut tangam te fili mi*. Neque etiam erant in statu peccati fideles ij, ad quos idem Paulus ad Hebr. 10. ait: *Accedamus cum vero corde in plenitudine fidei*, &c. & alibi passim: Sensus itaque Apostoli est, accedentem ad Deum, siue per primam iustificationem, siue per progressum diuturnum iustificationis, qualiter accessit Henoch, necessariò habere fidem Dei remuneratoris, sine qua, ut supra dixi moraliter, est impossibile conuerti hominem ad Deum super omnia, vel etiam tentationes occurrentes per longum tempus superare; licet alioquin vnum, vel aliud opus meritorium sine illa fide elici possit. Ex quo arguit bene ad probandam fidem Henoch. Ipse enim accessit ad Deum, siue per primam iustificationem, siue per longam legis observantiam, ergo habuit fidem Dei remuneratoris, sine qua neutrum posset habere accessum ad Deum: quia licet sine illa fide explicita posset vnum, vel aliud exiguum opus bonum elicere: illud tamen non est propriè accedere, cum ferè tam distans adhuc maneat à Deo post illud opus: sicut neque si accedat per medium digitum spacijs dicitur simpliciter accedere homo ambulaturus.

Ita scripseram, & responderam ante 25. annos dam materiam de fide in f. Holis Auditoribus meis in Hispania dictarem: qua occasione P. Hurtado disp. 40. sect. 3. §. 16. hanc difficultatem de Henoch tetigit, & tandem ibi, & disp. 41. §. 3. concludit Paulum loquutum fuisse de fide, quæ per se est necessaria ad primam iustificationem, quæ eadem est etiam necessaria ad totam, & diuturnam observantiam legis, in qua lege includitur actus dilectionis, & spei, qui sine ea fide esse non possunt, in quibus nobiscum conuenit. Addit tamen in priori loco Precopium Gazæum putasse, Henoch fuisse peccatorem, & aded dignam pœnitentiam egisse, ut fuerit exemplo sanctitatis, quod nec pro se, nec contra se graue fundamentum habet: ipse verò concludit §. 18. probabile satis sibi esse, Henoch propria dispositione fuisse iustificatum, siue quia ex infidelibus parentibus ortus fuerit, ut voluit Erasmus, siue quia illi non contulerunt ei Sacramentum legis naturæ ad remedium peccati originalis. Ego tamen id non credam, nec vllum fundamentum video eam negligentiam parentibus Henoch imponendi. Vnde Pererius lib. 4. in Genesim in verba illa capitis quinti *ambulauitque cum Deo*, adducta Gazæo dicente, Henoch fuisse prius peccatorem, & postea pœnitentem, subdit. *Quod mihi sanè non sit verisimile, cum nihil tale vspiciam significet scriptura, nec de tali, & de tanto viro id sentire consensaneum est, quinimo Caietanus ex eo quod bis dicitur hoc loco Henoch ambulasse cum*

Cc 4

Deo

133

Nomine accedentis ad Deum, quid Paulus intellexerit.

134

Henoch an fuerit peccator, & postmodum pœnitentiam egerit?

Parentes Henoch, nec infideles fuisse, nec impij.

Deo, indicari existimat eum per totam vitam, & à pueritia usque fuisse sanctum, & charum Deo. Hæc Petrius. Et quidem non video quomodo possit probabiliter affirmari, vel parentes Henoch infideles fuisse, vel impios in non conferendo sacramento legis illius paruulo suo filio, cum sancti Patres & interpretes omnes sacri pro comperto supponant, veram religionem, pietatem, fidem, & cultum veri Dei in familia illa, & progenie Sethi usque ad Noë perdurasse, in illisq; potissimum Ecclesiam Dei eo tempore conseruatam fuisse: ideo cap. 6. nota illa progenies filij Dei appellantur propter pietatem, & cultum veri Dei in ipsa permanentem, vt testantur Chrysostomus. Cyrillus, Theodoretus Rupertus, & Hilarius apud Cornelium in cap. 6. Genes. August. lib. 15. de Ciuit. Dei cap. 23. quibus addi potest Iosephus lib. 11. antiq. cap. 4. dicens, *filios Seth per septem generationes perseuerasse unum Deum colentes omnium rerum Dominum, semperque virtutis respectum habuisse.* Imò addit Salianus anno mundi 623. Henoch datum esse à Deo eius parentibus ob eorum pias preces, & votum, quo eum Deo dedicauerant, ideoque ipsum eo nomine appellasse, quia *Henoch* interpretari possumus quasi *dedicatus*. Vide obsecro, quo fundamento possumus probabiliter iudicare eiusmodi homines vel infideles fuisse, vel impijs, vt filium suum sacramento fidei priuare voluerint.

135

Concedit denique idem Hurtado dicta disp. 41. §. 1. & 2. non esse necessariam fidem illam explicitam Dei remuneratoris ad quodlibet incrementum gratiæ habitualis: quia ex alijs actibus fidei haberi potest motiuum sufficiens ad exercendum aliquem actum bonum supernaturalem, quo gratia augeatur, licet non sit sufficiens ad delectationem peccatorum disponentem ad primam iustificationem, nec ad diurnam perseuerantiã in bonis operibus. Addit tamen §. 4. non ideo necessariam esse hanc fidem remuneratoris, quia necessarius sit actus fidei propriè dictæ, vt distinguitur à charitate, & alijs virtutibus, sed necessariam esse cognitionem retributionis, quam amare possumus ex formali charitatis obiecto. Est enim feruentior actus charitatis, qui oritur ex cognitione bonitatis diuinæ, vt clarè concipitur, vt fons, & scaturigo retributionis æternæ: tunc enim & Deus amatur propter eam bonitatem, & propter hanc amatur eius retributio, propter quam vt propter proximum obiectum formale possumus ferre patienter ætumnas. Hæc ille, quæ mihi probari non possunt; opponuntur enim fundamentis, quibus necessitas fidei de remuneratione nititur, & aliena proculdubio sunt à mente Patrum, qui ideo, vt vidimus, necessariam dicunt esse retributionis noticiam, quia nisi homo fructum sibi, & commodum speret, labores, & pòdus diuinæ legis obseruandæ non sustinebit. Sic enim dixit Theodoretus suprà adductus: *Qui non hac ut habere crediderit, virtutis labores non sustinet: neque enim agricola in agro colendo sudores toleraret, nisi se laborum fructus relaturum speraret,* &c. & S. Thomas suprà etiam adductus: *Aliiter enim (inquit) nullus irret ad ipsum, si non speraret aliquam remunerationem ab ipso.* Nec satisfacit dicere, quod sperat quidem homo beatitudinem, sed hanc ipsam non amat vltimò vt bonum suum, sed vt bonum Dei, & ad Dei gloriam, atque ideo non est actus proprius spei, vt est virtus distincta à charitate, sed sola charitas sufficit,

136

ex qua diligitur Deus, & propter Deum desideratur, & speratur beatitudo nostra, non solum in nobis, sed quia resultat in bonum Dei. Hoc (inquam) non fatiscit, quia Patres noticiam remunerationis ideo necessariam esse voluit, quia homo, nisi allectus à bono proprio, non sustinet patienter onus diuinæ legis. Si autem remuneratio solum desideratur ex motiuo charitatis propter gloriam, quæ Deo resultat, non esset necessitas talis retributionis notitia ad eos labores patendos. Si enim mouetur homo sufficienter ex desiderio gloriæ Deo resultantis, eodem modo moueri posset credens, quod ex bonis suis operibus resultat gloria Deo, & diuina voluntas impletur, imò etiã sciret se esse perpetuò apud inferoscandendum, cum tunc etiam maneret totum charitatis motiuum. Patres autem, vt vidimus, voluit necessariam esse retributionis noticiam, vt homo efficaciter moueatur: & meritis, quia licet aliquis vir sanctus, & perfectus possit aliquando Deum ita ingenuè ex charitate diligere, vt etiam sciret se reprobū esse, adhuc eum diligeret ad hunc tam dilectionis gradum non peruenit, nisi præcedente in initio notitia retributionis, & incipiendo ab eius desiderio, nec etiam longo tempore in illo charitatis affectu, & obseruantia legi perseueraret, nisi retributionis spe in eorum subleuaretur. Denique quando Paulus 1. Corin. 13. de charitate dicit, *quod omnia sperat*, non confundit illam cum virtute spei, sicut nec cum virtute fidei, cum dicit, quod *charitas omnia credit*, sed ostendit efficaciam charitatis ad imperandos actus proprios aliarum virtutum Theologicarum, qui sunt actus propriè fidei, & spei, vt notauit S. Thomas in eum locum sectione 1.



DISPUTATIO XIII.

De necessitate præcepti, quæ fides necessaria est.

- SECTIO I. An detur præceptum de actu interno fidei, & quale illud sit.
- II. Ad quam virtutem spectet præceptum fidei.
 - III. Quorum obiectorum necessaria fuerit ex præcepto fides explicita ante aduentum Christi.
 - IV. Quorum obiectorum fides explicita necessaria sit ex præcepto in lege euangelica.
 - V. De alijs, quorum fides, vel notitia explicita fidelibus necessaria est.
 - VI. Vtrum hæc obligatio fidei explicita sit de iure diuino, vel humano.



IXIMVS de necessitate medijs, nunc dicendum est de necessitate præcepti. Est autem duplex præceptum fidei. Primum de actu interno: secundum de confessione externa nostræ fidei; nunc agimus de primo præcepto, de secundo autem dicemus disputatione sequenti.

SECTIO I.